OB PROFESSIONEM ORDINARIAM VIRIS CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS DN. GODOFREDO WEISSIO ET DN. SAMUELI THEODORO Schönwald THORUNENSIBUS,

SOLENNI RITU

d. 14 Aug. A. O. R. 1732.

COLLATAM

LÆTITIAM ANIMIS CONCEPTAM

BREVIBUS LINEIS QVA DECET

OBSERVANTIA CONTESTANTUR

MUSÆ THORUNENSES

THORUNII

Impressit Ioh. *Nicolai* Nobiliss. Senat. & Gymn. *Typogr.*

LÆtare Lyceum, dum rara volunt esse gaudia:
Exue caperatam frontem, & serenitatem indue.
Habet jam in Filiis geminis Ecclesia minor,
quod in Patribus geminis olim major habuit.
Hi quidem lacte Euangelii nutrivere CHRISTI
illi undis limpidis proluent Musarum asseclas. (oviculas;
Uterque boni ominis præbet præsagia.
Alter olorem præfert in clypeo;
alter silvam notat nomine.
At ubi olor est, ibi & flumen adest;
ubi silva, ibi & florent arbores.
flumina restingvunt sitim:
arbores lætam umbram exhibent.
Felix ergo tua sorte Lyceum!
Habes Ianum bifrontem,
qvi ex utraque tonat cathedra,
utrinque divina & humana pandit mysteria.
Habes Æsculapii germen,
columba non minus qvam serpente conspicuum:
illa morum integritatem, hæc prudentiam signat,
ne qvid temere credas, ne præjudiciis succumbas.
Habes alium, qvi ad Latium ducit & Helladen,
& flosculos svave micantes docet decerpere.
Iam iterum nova Tibi accedunt decora.
Cygnus emergit candidus,
qvi ore promit, qvod premit pectore.
Arbor succrescit patula,
qvam qui subit, æstum fugiet & solstitium,
qvi non refugit, svaviter sub umbra recumbet.
Sed qvid attinet ludere ænigmatibus?
Dicendum est planius, qvia numerus
Professorum factus est plenior.
Latior ibit Permessidos unda,
lætior evirescet silva Heliconia,
qvando INCLYTUS MAGISTRATUS
Viris Clarissimis & Doctissimis
Dn. GODOFREDO WEISSIO, &

Dn.

Dn. SAM. THEOD. SCHOENWALD

ordinariam professionem benigne contulit,
& cum onere honorem qvoqve imposuit.
Merita nimirum pensi habuit.
Implevere nobile decennium,
& extra ordinem decurrere visi in stadio
rectam tenuere orbitam,
quæ bene docendo ac recte agendo absolvitur.
Iam ergo licet mentis opes expromere,
apud exteros multo sudore collectas,
domi magno cum fœnore ponendas.
Lacertos movebit MATHESIS,
& e tellure cœli aream prospicere,
tenebras inter astra rimari fulgida,
angusta in mensula orbem dimetiri instituet.
Iunget PALÆSTINÆ *manus* GRÆCIA.
HISTORIÆ *suppetias feret* GEOGRAPHIA,
diversa terrarum climata, regnorum fines,
urbium natales & incrementa
cum naturæ mirandis reserabit.
Et cum difficile sit Principes depingere,
eorundem insignia picturata dabit HERALDICA.
Gaude iterum & bonis tuis utere Lyceum!
Nulla tibi natio peregrina erit,
omnes fient prope domesticæ.
Non adibis aulas regias,
Regum tamen fata & facta pernosces.
Non transfretabis maria, non fretum Herculis,
in Museo tamen Vestam & Oceanum digito monstrabis.
Vitam Musarum felicem dicito,
nec de vili annona conqveritor.
Equidem vere dixit Oct. Ferrarius:
Pleriqve omnes, qvi ingenio censemur, vulgus sumus,
& sive fato, sive temporum inclementia,
in re tenui & angusta versamur.
Cæteris nominis claritatem aut præstamus aut pollicemur;
nos ipsos premunt tenebræ, & tranquilla sectando

opprobria

opprobria tamen vix effugimus:
& quo majoris operæ est Musarum aperire adyta,
hoc sterili labore magis atterimur, despicimur, ignoramur.
Sed habeat sibi seculum sua,
etsi vere sua neqvit dicere,
quæ casus eripit vel mora temporis consumit.
Vos Musæ sorores INCLYTO MAGISTRATVI
habete gratias, si reddere negatum est,
qvod tempore difficili facilem se præbuit,
& numerum Professorium paterne explevit.
Sufficiant illi semper vires, nunquam desit voluntas,
ut quæ oblectant privatim publice personent;
quæ Viris aliquando prosint, juvenibus adsint largiter;
eruditio a pietate grattam,
pietas ab eruditione capiat ornamenta.
Vos etiam DN. PROFESSORES ORDINARII,
Ingenio Nobilissimi, Virtute Clarissimi,
Doctrina excultissimi,
fluminis instar nostra rigate pectora,
animos doctrinæ cupidos fertiles efficite,
ac dum sementem facitis, messem sperate uberrimam.
Agant radices, qvas plantatis arbores:
gemmas induant, in flores & fructus abeant,
quæ teneris animis instillare est animus.
Seculum si nescit rependere,
qvod sudatis, laboratis, in ardua contenditis:
at summus in cœlo brabeutes
suo inscribet Breviario vel Rationario.
Ille suo tempore putabit rationes,
& mercedem tribuet sine tempore.
Ad extremum vivite Patriæ, qvæ vitam dedit:
Vivite Familiis & Amicis,
qvibus summa debetis, summa reddetis decora:
Vivite Vobis & famam longius extendite:
Vivite Musis, quæ spiritum à Vobis trahere gestiunt:
Vivite etiam cœlo, cui nati estis,
extra quod nec vita vitalis est,
nec salus stabilis, vel perennis gloria.